



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Principia Juris Canonici : Ex Libro ... Decretalium Gregorii
IX. Pontificis M / Antehac In Alma & Archi-Episcopali
Benedictina Universitate Salisburgensi**

König, Robert

Salisburgi, 1725

VD18 80460526

45. De reliquiis, & veneratione Sanctorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61800)

TITULUS XLV. De Reliquiis, & Veneratione Sanctorum.

In c. 1. & 2. h. t. propter fraudes, & illusiones Dæmonis prohibemur, aliquem tanquam Sanctum venerari, aut ejus reliquias publicè colere, tamen si miracula operetur, nisi auctoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ, qui solus aliquem pro Sancto, vel Beato declarare potest. Quod in tantum amplio, ut licet Episcopi approbare, ac examinare miracula sancti etiam nondum canonizati posse videantur juxta Barb. de Potest. Episcop. p. 3. alleg. 97. num. 1. Reliquias tamen noviter inventas hominis nondum canonizati approbare nequeant, per textus luculentos in cit. c. 1. & 2. Neque obstat, quòd in Trid. sess. 25. de Invocatione, Venerat. & Reliquiis SS. dicatur, neque nova miracula, neque novas reliquias esse recipiendas, nisi recognoscante, & approbante Episcopo, consequenter, quòd sicut Episcopus nova miracula Sancti etiam non canonizati approbare potest, ita & possit reliquias; siquidem diversa ratio est: cum enim in cit. c. 2. h. t. Episcopis expressè prohibitum sit, reliquias noviter inventas (hominum scilicet nondum canonizatorum) publicæ venerationi sine Sedis Apostolicæ approbatione exponere, non tamen interdictum sit nova miracula hominum necdum canonizatorum examinare, ac approbare, ideò verba Trid. quatenus sonant de novis miraculis, etiam de miraculis hominis nondum canonizati ampliatiè interpretari licet; quatenus autem verba ejusdem Trid. innuunt, novas reliquias approbante Episcopo posse venerationi exponi, restringere oportet ad novas reliquias hominum jam ante canonizatorum, vel saltem pro talibus publicè, & communi consensu Ecclesiæ habitorum: ex quo Trid. Constitutioni Conciliari in d. c. 2. h. t. conten-

ta expressè non derogavit, juxta doctrinam Barb. de Potest. Episcop. p. 5. alleg. 33.

TITULUS XLVI. De observatione jejuniorum.

SUMMARIÆ.

1. Quid sit jejunium? 2. Aliud est naturale, aliud Ecclesiasticum. 3. Est introductum jure Ecclesiastico. 4. usque 11. Quinam teneantur præcepto jejunii? 12. a quibus cibis abstinendum. 13. usque 17. Quæ sint requisitæ jejunii? 17. Quis finis, & effectus?

§. I.

Definitur jejunium, quòd sit parsimonia victus, & abstinencia ciborum certis temporibus ab Ecclesia institutis servanda.

§. II.

Dividitur jejunium in naturale, & Ecclesiasticum. Illud est abstinencia ab omni, tum cibo, tum potu in stomachum transmissis; quale à tempore noctis mediæ requiritur ad dignam sumptionem Eucharistiæ. Ecclesiasticum est abstinencia, quæ ex præcepto Ecclesiæ quis à carnibus abstinet, & unicâ refectio- ne à media nocte usque ad mediam noctem futuram contentus esse debet; de quo in præ-

§. III.

Causa efficiens hujus jejunii est jus Ecclesiasticum: quippe nullum jejunium, ne quidem quadragesimale de jure Divino propriè loquendo præceptum est, sed hoc ipsum ex sola traditione, & Apostolica sanctione in Ecclesia inolevit. can. 68. Apost. Covarr. var. resolut. lib. 4. c. 20. n. 4. & seqq.

§. IV.

Subjectum jejunii sunt illi, qui ad ejus observationem adstringuntur. Adstringuntur autem præcepto jejunii omnes Christiani, qui ob justam causam non excusantur. Sunt verò causæ excusantes plures.